

Iam Jesu Christi te vocare voluisti : Sed & docet lex divina : Tu ipse es Domina. Nā jus habet & ratio, matrē pręesse filio. Ergo ora suppliciter, & pręcipe sublimiter, ut nō in mūdi vespera, ad regna ducat supera.

42. *Comprobat idem Litania Pontificia, qua omnes Deos. Deasq; longo ordine recensentes invocant, de quorum nonnullis dubium est, an unquā in rerum naturā extiterint: vel si extiterunt, magis dubitatur, an in inferno vel cęlo sint constituti.*

43. *Confirmat idem Formula absolutionis Papistica, quę habeat: Passio Domini nostri Jesu Christi, nec nō & meritum beatissimę Virginis Marię, Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, pręterea quicquid boni feceritis, aut mali sustinueritis: sint vobis in Remissionem peccatorum.*

44. *Ēant nunc Romanenses, & se, non Mediatōres, & Opitulatores, sed ut Intercessores, & quidem non invocare, sed compellere duntaxat Sanctos dicant.*

45. *Vbi illud etiam notandum, si vel maximē compellationis duntaxat cultum, Sanctis tribuere Pontificios, concedatur: tamen ne sic quidem impictatis & blasphemię notam eos posse effugere.*

46. *Quia enim sancti illi, non in terris hisce, sed in cęlis cum DEO agunt: certē ne compellari quidem à nobis illi poterunt, nisi statuerimus, eos exaudire posse omnes, quotquot ubique terrarū atque gentium illos invocant: ac proindē corda scrutari*